



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VIII. Dei laus ex consonantia voluntatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

ferè in ore habebat, Deo gratiæ. Ita constanter ad mortem usque perseveravit: insigne humanæ conditionis, ex altissimo gradu ad infelicitatis infima devolutæ, spectaculum: sed longè illustrius æquanimitatis Christianæ, in malorum quorumlibet sensu Dei paternam manum aspicientis, & deosculantis exemplum.

VIII.
*Dei laus
ex consonantia
volunta-
tum.*

Lusciniam ferunt, alias numquam clariori voce, suaviorique, cantum modulari, quam ubi acantho spīnæve infederit. Verūin ne id sit,

viderint, qui narrant. Hoc certum, à canora cæli volucré virtute Christiana, numquam gratiùs ac modulatiùs Dei laudes concini, quam divinæ humanaeque voluntatis consonantiâ, in acantho calamitatum & spinis adversorum. Canticorum Canticum illud est, jucundissimum auribus sponsi, ejusque sodalibus: longè latéque resonans ex monte myrrhæ, & ex colle thuris, atque inde per valles & agros multiplicato sono diffusum. Quidni autem Christianorum aures delicati istius cantùs dulcedine mulcentur,

M 4 quo

quo Infidelium etiam ipsorum, & barbarorum, mentes rapiuntur in admiracionem? Quis, putas, fuit spectantium & audiencium quorumcumque sensus, quando D. Theodorus Martyr, cuius anniversaria die ut hæc me commodum scribere contigit, ungulis excarnificatus, dum costæ nudarentur, lætus canebat, *Benedicam Dominum in omni tempore?* Quando in rogum ardente injectus, ustulatusque, ad extremum usque spiritum in divinis laudibus perseverabat, non secus ac juvenes Hebræi inter innoxias fornacis Babylonicae flammæ? Quis non Christianorum ex eo spectaculo dignos sanctissima nostra religione animos concepit? Quis non cæterorum miratus est militem, non jam hostibus solum, sed etiam semetipso fortiorem? Cui adstantium, vel invito, tacitæ laudis testimonium non expressit tam excelsus super omnia horrenda animus, in vulneribus gaudens, in incendii alacer, in morte vegetus? Cum nos, tot sæculis à cruento Maxiniiani ævo disfici, ad solam adeò generosæ patientiaz cogita-

cogitationem erigamus animos, & nobis
ipsis de exemplo gratulemusr.

IX. *Meriti nobis plurimum.* Si enim vel Paganis, imò &
barbaris, nihil est supra homi-
nem fortiter miserum, quantò
magis Christianis, virtutum pretia edo-
ctis? Qui non Dei tantùm gloriam ex
eiusmodi tolerantia existere noverunt,
sed & plurimum apud Deum meriti ac
gratiæ comparari. Nam verissima devotio,
ut Blofius in dictis Patrum cap. 10. affir-
mat, *in humillima sui resignatione sita est:*
quando videlicet homo non solum in abun-
dantia, sed etiam in penuria & mærore, &
aliis quibuscumque casibus atque eventibus,
in sanctissima Dei voluntate plenissimè ac-
quiescit. Meritum est ab obsequio: obse-
quium à voluntatis subjectione perpetua.
Ob eas cauſas, solitæ heroicæ animæ
non excipere. tantùm mala incurrentia
patienter, verùm etiam prompto animo,
obviāque voluntate. Petrus Faber, pri-
mus Divi nostri Ignatii socius, vir in
agendo, patiendoque secundùm Deum,
apprimè versatus, tria esse dicebat Chri-

M 5 stianoruin